



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Qvæstio I. De Prouidentia Dei generatim.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

quatio, & commensuratio perfecta voluntatis in actu & habitu cum aeterna lege. Vnde vocatur à Sancto Dionysio *impeccabilitas & puritas omnino immaculata*. Deus autem per identitatem adequatus est aeternae illi legi, ac increatae rationi ut patet, atque adeo Deus essentialiter est sanctus, cum implicet contradictionem ut actus voluntatis Dei non sit adequatus iudicio rationis cum quo vnum est essentialiter.

Quid sit Dei sanctitas. Secundò, dixi quid sit Deum esse sanctum, est enim, ut dixi, voluntatem diuinam, & omnes eius actus esse perfectissimo modo commensuratos cum aeterna lege, quæ non est aliud quam recta ratio diuina prout dicitur omnia, quæ naturæ rationali sunt cōuenientia, rectitudo ergo illa, & conformitas voluntatis diuinæ cum hac idea, est id ipsum quod vocatur sanctitas, vel habitualis quatenus in ipso Deo residet, vel actualis, quatenus in omnibus eius actibus reperitur, estque illa bonitas moralis & (ut dixi) puritas omnimoda. Imò etiam cum essentia ipsa Dei, sit regula illa & iudicium rectum, per amorem autem huius legis illi maxime adæquemur, optimè quoque dicitur amor Dei esse sanctitas perfectissima. Deinde verò cum illa sanctitas ut dixi sit conformitas illa cum recta ratione, illius veluti partes quædam sunt omnes omnino virtutes, quatenus circa particulares materias faciunt voluntatem, & eius actus commensuratos & conformes aeternæ legi. Dici ergo potest sanctitas Dei esse rectitudo, & iustitia perfectissima, esse omnimoda eius puritas, esse amor infinitus quo se ipsum amat, ac demùm esse virtutum omnium cumulus, quatenus partes veluti quædam sunt infinitæ huius rectitudinis.

Quanta sit Dei sanctitas. Tertiò, dixi quàm perfectè sanctus sit Deus, est enim omni modo excogitabili sanctus ut expenditur rectè à Lessio l. 8. Est enim primò sanctus obiectiue, quia est obiectum omnis planè sanctitatis, cum sanctitas sit, ut dixi, commensuratio cum aeterna lege, ac illius amor; Deo enim qui purissimus est, adherere per amorem est esse purum & sanctum: sicut adherere rebus inferioribus est esse impurum. Secundò est sanctus exemplariter, quia est ipse per se recta ratio & illa pulcherrima lex radijs ipsius Deitatis exarata in mente Dei quæ regula est totius bonitatis moralis. Tertiò, est sanctus formaliter, quia est formaliter sui amor & illa rectitudo, non autem per aliquid superadditum. Quartò, est sanctus infinite tum intensiue, tum extensiue, quia se ipsum & rectitudinem suam, & legem aeternam amat infinite, quantum scilicet amabilis est, & quàm perfectè illam concipit, ex quo sequitur, ut peccatum perfectè oderit, quia infinite se ipsum, & rectitudinem amat oppositam peccato. Deinde infinita est extensiue illa sanctitas, quia in omnibus se ipsum amat infinite, imò extendit se illa sanctitas ad omnia quæ Deus in essentia sua cernit, illa enim omnia propter ipsum infinite illi placent. Quintò, sanctus est eminenter, vel potius emanatiue, communicatiue, fecundè, omnia enim per se ipsum, & quasi attractu suo sanctificat. Primò, præsentia suæ substantiæ, sapientiæ, potentiæ, mundum vniuersum veluti templum quoddam consecrat. Secundò, animam rationalem cognitione ac amore suo. Tertiò Christum ipsum, in quo substantialiter posuit totam suam sanctitatem ut per eam homines sanctificaret, de illius enim plenitudine haurimus omnes præsertim per symbola sacramentorum, ubi totus in nos effluit fons sanctificationis. Ut videas quantum à creata sanctitate differat increata sanctitas; est enim essentialis, est substantia, est infinita, est exuberans, &c.

Quales in Deo sint virtutes. Certum est secundò, virtutes omnes quæ non habent essentialiter adiunctam imperfectionem, esse in Deo perfectissimas, quia illæ omnes, ut dixi, rectitudines quædam sunt, & veluti partes plenissimæ illius

rectitudinis quæ sanctitas est, quasi gemmæ huius diadematis, & stellæ huius firmamenti, esset autè infinitū differere de singulis. Est enim in Deo charitas erga se ipsum, tum intensiue tum extensiue infinita, quoad omnes actus, quoad omnes modos, quoad omnes fructus perfectissimi amoris. Est in Deo misericordia, quæ non dicit essentialiter tristitiam, sed voluntatem intensissimam subleuandi & consolandi miseros, quæ voluntas quàm sit sincera, quàm incensa, quàm efficax testantur natura, gratia, gloria; quidquid enim habet sapientia lucis, quidquid bonitas suauitatis, quidquid prouidentia benignitatis, hoc totum misericordiæ viscera exugunt, ut in nos deriuent salutem, redemptionem, beatitudinem. Hinc venia peccatorum, sacramenta, Christus ipse mensura infinita misericordiæ sine mensura. Iustitia nulla est in Deo secundum propriam, & adequatam rationem iustitiæ cui est essentialē debitum respicere ita strictum, ut si violetur fiat iniuria, Deus autè Dominus omnium iurium creaturæ nullam facere posset iniuriam licet negaret creaturæ, quæ promissit, etiam si aliunde ratione sanctitatis & fidelitatis diuinæ id sit prorsus impossibile. Reperitur tamen vera quædam iustitia in Deo seclusis imperfectionibus, præsertim legalis, & vindictiua, quæ de re fusè dicam agens de iustitia. Sunt etiam in Deo veracitas, fidelitas, magnificentia, & liberalitas, clementia, benignitas, longanimitas: gratitudo in Deo non reperitur, quia non potest recipere beneficium: fortitudo, & temperantia non sunt in Deo nisi metaphoricè, quia moderantur passionēs: religio, pietas, obseruantia, obedientia respiciunt alterum ut superiorem, quod in Deo locum non habet.

DISPVATIO V.

De Prouidentia Dei. Quæst. 22. 23. 24.

EXPLICATA sigillatim perfectione tum intellectus, tum voluntatis, sequitur prouidentia, quæ utriusque potentia adscribitur. Attributum sanè Dei omnium oculis maxime aspectabile ut ait Irenæus l. 2. c. 5. & tamen res vna quæsitū maxima & inuentu difficillima inquit Boëthius l. 5. consolatur. Prosa 6. cuius consideratio tres omnino partes habere potest. Prima sit de prouidentia Dei generatim, secunda de prouidentia Dei supernaturali erga electos, quæ dicitur vulgò prædestinatio, tertia de prouidentia Dei erga reprobos, quæ dicitur reprobatio.

QVÆSTIO I.

De Prouidentia Dei generatim. Quæst. 22.

Explicant eam, & probant fufissimè naturales omnes philosophi, quia illa clauus est & gubernaculum, quo mundana machina stabilis & inconcussa seruatut teste Boëth. l. 3. Prosa 12. mihi verò ad solam Dei prouidentiam supernaturalem properanti satis erit breuiter dicere, an illa sit, quid sit, & qualis sit.

SECTIO I.

An & quotuplex in Deo sit Prouidentia.

HÆc quæstio est, quæ reos & penā dignos efficere potest disputatores suos (inquit Clemens Alexandr. l. 5. Stromatum c. 10.) si enim Deus est, utique prouidens est ut Deus, nec aliter ei tribui potest diuinitas ut ait Lactantius mox citandus, Negarunt illam pauci & perditissimæ fauæ, homines inter Ethnicos Epicuræi, inter Pseudo-Christianos

stianos iam olim Gnostici, & vtrisque deteriores huius temporis Athei. Quos latissime impugnant Theodoretus sermonibus decem de prouidentia, & libr. 6. de Græcorum affectionibus, Chrysostom. libris tribus de hoc argumento, Saluianus lib. 8. Augustin. lib. 5. de Ciuit. & lib. 1. ac 2. de ordine, Ambros. lib. 1. Officiorum cap. 13. Nemefius lib. 8. Philosophia. Lactantius lib. de Ira Dei c. 9. & 10. S. Thomas lib. 3. contra Gentes, cap. 71. & inter recentiores eximie Lessius, Ruiz, Recupitus, Petauus.

Quære autem an in Deo sit prouidentia, est, quære vtrum Deus creaturas omnes gubernet, & curet, prouidentia si quidem nomen significat cognitionem antecedentem futuri, & voluntatem consulendi, quæ sunt duæ veluti partes prouidentia vt rectè obseruat Cyril. lib. 10. in Ioan. Deum idcirco appellans eorum omnium inspectorem, & curatorem; constat enim Dei scientiâ & bonitate.

Rationes
Atheorum.

Ratio autem negandi prouidentiam Atheis primò, fuit, quia timent ne minus felix sit Deus, si nimis sit negotiosus, & tantâ rerum mole obruatur. Secundò, negant fore iustum, si pariatut tot mala viris iustis euenire. Tertio, negant fore bonum, si enim bonus est cur mala pariat. Imò quare malos homines permittit esse, & ad bonorum perniciem grassari. Quartò, negant fore prudentem ac sapientem si mundum quem gubernat, finit tantis, & tam variis motibus concuti.

Dati prouidentiam
in Deo.

Dicendum tamen est, Deum esse ita perfectè prouidentem vt creata omnia curet, & gubernet, ac in proprios fines dirigat per aptissima media. Probationes veritatis huius notissimæ peti docet Saluianus lib. 2. ex triplici capite. Primò, ex testimoniis. Secundò, ex rationibus. Tertio, ab exemplis, quæ omnia persequi longum esset & apud authores citatos legi possunt.

Testimo-
nia.

Primò, igitur testimonia vel scripta sunt, vel innata: scripta, in scripturis Sacris infinita sunt. Sapient. 14. *Tua pater sapientia gubernat mundum & omnia.* Quod plurimis argumentis Christus demonstrat Matth. 6. Præter citatos autem Patres, Athenagoras lib. de Resurrectione Mortuorum: *Omnia creata (inquit) creatoris sui prouidentia indigent.* Aeneas Gazæus in Theophrasto prouidentiam Dei vocat *generalem omnium medicinam, quæ omnia quidem curat, non autem vnum, & idem medicamentum omnibus adhibet.*

Innatum nobiscum est illud testimonium, quod omnes hominum animæ Deo tribuunt, vt docet Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum, *Vt inuisibili soli omnipotenti, solertissimoque optimarum omnium principio, prouidentiam attribuunt.* Quod etiam ex subitis motibus probant Nemefius cap. 44. & Tertullianus, lib. de Testimonio animæ cap. 2. falsum enim esse non potest quod omnium sapientum suffragio quotquot hætenus extiterunt, omnium populorum testimonio seculis omnibus comprobatum est.

Rationes
priori.

Secundò rationes petuntur partim ex reliquis attributis diuinis, partim ex operibus, in quibus perspicuè prouidentia se ipsam videndam exhibet. Prima ergo ratio petitur ex ipsa Deitate, ac ex attributis omnibus Deitatis. *Nemo te sustinet* (inquit Tertullianus lib. 2. contra Marcionem cap. 24.) *Improuidentiam adscribentem Deo quem Deum non negans confiteris & prouidum.* Idem probat summa bonitas Dei, si enim bonus est, beneficis etiam est, si autem beneficis etiam est prouidens, si enim bonus est, bonitas eius exigit vt prouideat.

Deinde attributum iustitiæ prouidentiam adstruit teste Augustino lib. contra Adimantum cap. 11. si enim iustus est nullum bonum sine præmio relinquit, nullum malum sine supplicio. Tertium est dominium

Dei & suprema in omnes potestas, si enim dominus est proprium eius est, omnia gubernare: *Aded vt* (inquit Theodoretus supra) *cum essentia ipsa implicatum, & instum gerat in res omnes imperium.* Quartum est omnipotentia, si enim omnia per se ipsum efficit, necesse omnino est vt operibus quæ fecit ipse prouideat. *Quis enim operator negligat operis sui curam*, inquit Ambrosius lib. 1. de Officiis cap. 13.

Denique optima est eam in rem. Ratio sancti Thomæ art. 1. si Deus est causa efficiens creaturarum, non tantum quoad illarum existentiam, & substantiam, sed etiam quoad ordinem quo diriguntur in suos fines, datur in Deo prouidentia, sed Deus causa est talis ordinis alioqui non esset causa totius perfectionis quæ reperitur in creaturis ergo in Deo est prouidentia. Imò agens perfectissimum (cuiusmodi est Deus) agit propter finem, ergo cum Deus omnia creet, dirigit etiam illa in finem, quæ videtur omnino evidens demonstratio.

Neque minus efficax est altera ratio, quæ velut à posteriori ex effectibus tum naturalibus tum supernaturalibus, non probatur, sed oculis propè ac manibus exhibetur sensibilis prouidentia. Nemo enim partium earum quibus tota hæc vniuersi mirabilis machina componitur, cæli, elementorum, mixtorum, partim animatorum, partim inanimatorum, perspicere potest, vtilitatem, ordinem, varietatem, perennitatem, quin exclamet etiam inuitus dari prouidentiam. Quo in argumento triumphant innumeri Patres, & sanè perennitas cælestis motus, varietas motuum in singulis astris, quibus formantur vicissitudines diei, & tempestatum anni, quibus fruges maturecant, proprietates singulorum, constantia mirabilis; Deinde mundus sublunaris qui etiam in perpetuo conflictu perseverat tamen, & in continuo interitu indiutiorum species non deficiunt argumenta sunt descripta radiis solis, & totius mundi aspectabilis voce consummata. Accedunt opera supernaturalia, Christus præsertim vt optimè argumentatur Theodoretus serm. 10.

Tertio, vitæ communis exempla quæ quotidiana omnino sunt argumento ineluctabili probant prospicere omnino rebus humanis Deum, & curam omnium gerere paternâ, imò maternâ omni suauiore.

Ad primam, Respondeo stultissimè omnino impios homines putare Dei felicitatem perturbatum iri mole negotiorum, si tam multa curet, quasi verò infinitæ sapientiæ ac potentiæ laboriosum aliquid esse possit, aut sol ille omnia peruadendo, & illuminando exhaustiri.

Ad secundam, Respondeo veterem querelam esse, quod bonis viris mala accidunt, cui hoc vnum reponere lubet cum Seneca, quod illa quæ videntur mala, pro illis sunt, & pro vniuersis; pro illis, quia profunt tolerantibus, pro vniuersis, quia profunt videntibus.

Ad tertiam, quare mala Deus patiatut esse cum bonus sit, Respondet Lactantius lib. de Ira Dei, cap. 13. quia vt locum Sapientiæ daret ad eligendum, bona simul cum bonis posuit: Et Prosper carmine de Prouidentia quod vni bonum est alteri malum esse. Discutunt eam in rem optimè Augustinus lib. 11. de Genesi ad litteram cap. 5. Nazianzenus orat. 16. & variis comparationibus explicant quàm apè in vniuerso mala bonis permixta sunt; exemplo Picturæ, Musicæ, Orationis, vbi sunt contrapositiones: corporis, vbi sunt recessus & eminentiæ magnitudines & paruitates: terræ vbi sunt montes, & valles.

Malos homines cur patiatut prouidens Deus in bonorum perniciem grassari, nihil etiam prouidentia, laudem minuit vt demonstrat optimè Augustinus pluribus

Rationes à
posteriori.

Solutio
eorum quæ
opponunt
Athei.

pluribus locis, verbî gratia, serm. 254. de tempore: *Alios coronat, alios damnat, nusquam errat, alios probat, de aliis probat, omnes ordinat.* Vide Petavium c. 9. ubi ex Theodoret. Greg. Magno, Basilio Seleuciæ, ostendit Dei hostes repugnare simul & famulari consiliis Dei. Imò quod est mirabilius vti Deum iis quæ contraria videntur ad ea peragenda, quæ ipse statuerit; summæ inde potentiæ nobis specimen præbendo.

Ad quartam, de perturbationibus quibus concutitur terra videtur responsio eadem est, quibus addo, quod notatum sapienter est à Nemefio, cap. 14. *Nefas omnino esse negare providentiam quia consilia eius, non intelligimus, sicut si aliquis negaret esse mare, quia illud dimetiri nequit, si negaret arenam, quia illam numerare non valet.*

Colliges ex his duplicem in Deo distingui providentiam, alteram physicam quâ res gubernatur ratione carentes, & deducit eas in proprios fines: alteram moralem quæ regit causas rationales, liberas. Quæ deinde diuiditur in naturalem, quæ creaturas rationales dirigit in fines debitos naturaliter, & insupernaturalem eaque si electos spectet dicitur prædestinatio, si reprobos dicitur reprobatio, quæ ut vides idem sonat ac providentia, etiam si prædestinatio magis explicitè designet actum voluntatis, providentia verò actum intellectus.

SECTIO II.

Quid sit propriè Providentia.

Sic breuiter constituta existentia providentiæ, quid dicitur eius explicatio tria exigit. Primò, quos actus tum intellectus tum voluntatis includat necessariò providentia. Secundò, in quo actu formaliter & essentialiter illa sita sit. Tertiò, quomodo propriè illa definiatur.

§. I.

Quos actus intellectus, & voluntatis includat necessariò Providentia.

Certum est primò, providentiam includere necessariò quatuor actus intellectus, & tres actus voluntatis, providentia enim differt à gubernatione actuali, quæ tota est extra Deum, & est executio providentiæ: ista verò est actus quidam internus Dei omnino immanens, & æternus, quo res creatæ diriguntur in fines, significat enim dispositionem internam quâ res sibi subiectas Deus deducit in fines, hoc autem fieri nequit sine quatuor actibus intellectus, & tribus actibus voluntatis.

Primò enim requiritur actus pertineas ad scientiam simplicis intelligentiæ, quia deduci creatura non potest in finem, quin cognoscatur possibilitas tum finis, tum mediorum, deinde virtus etiam illorum, & efficacia, alioqui vaga erit & erronea providentia. Quæ omnia cognoscuntur per scientiam simplicem; imò ad hoc maxime munus pertinet scientia illa, quæ dicitur practica, quam dixi esse scientiam simplicem quatenus dirigit voluntatem decernentem, & omnipotentiam operantem.

Secundò, necessariò etiam requiri cognitionem scientiæ conditionatæ demonstratum sapius est, quia quisquis assumit medium ad finem si prudenter agit, considerat necessariò quem effectum habiturum sit medium si assumatur, alioqui agit cæco modo, & exponit se periculo non assequendi finem quem intendit absolute. Hoc est medium cognoscere conditionatè, unde tam sæpè monui providentiam sine hac scientia, nec esse posse prudentem, nec infallibilem, nec specialiter beneficam.

Tertiò, alter etiam ille actus intellectus quem

(imperium) dicunt morales Philosophi continetur à providentia, quia ut deducatur à Deo creatura in finem per aliquod medium, necesse est ut potentia exequens applicetur ad executionem externam per actum illum voluntatis, qui vocatur vsus, sed actus ille voluntatis qui dicitur vsus, non potest esse actus intellectus, qui vocatur imperium. Falsò enim Thomistæ putant imperium esse actum duntaxat præceptivum, & impulsivum nullo autem modo cognoscitivum, quod esse falsum ac impossibile probabitur prima, secundæ, imperium enim non est aliud quàm actus ille quo intimatur potentiis, & illis promulgatur decretum efficac voluntatis; cum enim dico, fac hoc, declaro quid velim fieri, sed intimatio illa est cognitio quæ præluet executioni, ergo imperium est cognitio illa quæ sequitur electionem, & præluet executioni. Estque iudicium practicum illud quo dicitur, hoc faciendum est iuxta voluntatis decretum.

Quartò, ad providentiam in diuino intellectu necesse omnino est, ut sequatur scientia visionis, quæ cognoscat futuram existentiam finis, & mediorum, non enim fieri potest ut Deus decernat efficaciter assequi finem per media, quin illorum videat existentiam, sed hæc cognitio posterior est totà providentiæ ut vides, & illam supponit.

Quintò, multos etiam actus voluntatis completitur providentia, in primis enim necessaria est intentio finis obtinendi, per quam progreditur ad mediorum præparationem; non enim dirigit in finem nisi eum intendendo aliquo saltem modo efficaciter. Deinde necessaria est electio seu decretum efficac exhibendi media quædam potius quàm alia, ac demum actualis vsus, seu voluntas applicans omnipotentiam ad mediorum exhibitionem.

Inter illos itaque septem actus iste ordo est. Primò, per scientiam simplicem cognoscit Deus finis, & mediorum possibilitatem ac honestatem. Secundò, per scientiam conditionatam cognoscit mediorum efficaciam ac congruitatem: sequitur intentio finis & electio mediorum, deinde imperium cum vsu, & executione, postrema omnium est scientia visionis.

§. II.

In quo actu consistat formaliter Providentia & quomodo illa definiatur.

Certum est secundò, illam non consistere essentialiter vel in solo actu intellectus, vel in solo actu voluntatis, sed includere formaliter, & in recto actum utriusque potentiæ. Contra Scotum, Bonaventuram, Suarezem, Lessium, Vasquezem, qui solum actum voluntatis putant esse proprium & essentialem providentiæ. Alij soli tribuunt intellectui, cum S. Thoma & Caietano alij utrique potentiæ tribuunt cum Alensi, Molina, Herice, Arrubale, quibus assentiendum videtur.

Ratio est, quia illud per quod providentia formaliter definitur, est id, per quod illa essentialiter constituitur, sed illa definitur per actum intellectus, & voluntatis, nam prædestinatio quæ pars est providentiæ, vocatur in scripturis præscientia, non repulit Deus plebem suam quam præsciuit unde August. lib. de Bono persever. definit prædestinationem, præscientiam, & præparationem mediorum quibus certissime liberantur, quique liberantur, ubi iungitur præscientia cū decreto. Deinde definitur etiam sæpè à scripturis per actum voluntatis, quia vocatur electio, decretum, propositum voluntatis, & Damasc. l. 2. c. 29. vocat eam voluntatem per quam omnia quæ sunt aptè gubernantur, & aperte Boethius l. 4. utramque coniunxit potentiam

Scientia visionis.

Tres actus voluntatis.

In quo actu consistat formaliter.

Scientia simplex.

Scientia conditionata.

Imperium

rentiam cum definit sic prouidentiam, est ratio in summo principe constituta, quæ cuncta disponit, ergo est actus intellectus simul, & voluntatis.

Et probari apertè potest; quia prouidentia est actus prudentiæ quæ virtus est intellectus, deinde curam dicit & sollicitudinem quod spectat ad voluntatem, imò præcipuum prouidentiæ munus est, non tantum media cognoscere ad finem idonea, sed efficaciter etiam ordinare, ut media in finem eligantur & executioni mandentur, qui sunt actus voluntatis, ad quam propterea videtur principalius spectare prouidentia.

Si autem ulterius queratur, in quo actu tum intellectus, tum voluntatis prouidentia consistat formaliter & essentialiter.

Resp. Prouidentiam præcisè sumptam, quatenus præcedit gubernationem & illam causat, essentialiter consistere in actu intellectus duplici, & in duplici actu voluntatis; actus enim scientiæ simplicis proptèr est scientia practica ut dixi, & actionem voluntatis dirigit sine dubio pars est præcipua prouidentiæ, simul cum actu scientiæ conditionatæ, quæ cognoscit quid factura sint media si dentur, quia dirigit electionem mediorum: imperium autem quod executioni præluet, & scientia visionis quæ cognoscit finem obtinendum, sequuntur prouidentiam non illam constituunt. Deinde in voluntate intentio, & electio sunt formaliter ipsa prouidentia: vsus autem extra eam est. Si verò illa sumatur adæquatè proptèr includit etiam gubernationem, tres actus intellectus, & tres voluntatis ipsam intrinsecè constituunt, sola scientia visionis totà prouidentiā posterior est.

Propria
definitio
prouiden-
tiæ.

Certum est tertio, definiri optimè posse prouidentiam, est conceptio mediorum in mente Dei, quibus una quæque res perducitur ad suum finem, & propositum conferendi ea. Vel certè optimè Lessius definit, decretum exequendi rationem ordinis rerum in finem à Deo præconceptum. Res enim omnes create, consideratæ secundum essentiam sunt obiectum idearum: spectatæ verò secundum habitudinem quam dicunt ad finem à Deo destinatum sunt obiectum prouidentiæ, & hoc significare debent omnes definitiones quæ vulgò circumferuntur alioqui non sunt adæquatæ; dicitur enim à S. Thoma, ratio ordinis rerum in finem existens in Deo. Et ut dixi à Damasceno voluntas Dei per quam omnia quæ sunt, conuenienter accipiunt gubernationem. Placet inprimis illa quæ allata est ex Boethio, ratio in supremo principe constituta quæ cuncta disponit.

SECTIO III.

Qualis sit perfectio prouidentiæ diuinæ.

In finitam perfectionem prouidentiæ hæcenus explicatæ intelligimus primò ex eius proprietatibus, secundò, ex eius operationibus.

Proprietates
eius
septem.

Certum igitur est primò, prouidentiæ diuinæ præcipuas esse proprietates, præter alias innumeras, quas excogitare facile est.

Vniuersa-
litatis.

Prima proprietas eius est, quod sit vniuersalissima ratione rerum quas gubernat; nihil enim est vel maximum, vel minimum, vel bonum, vel malum, quod non subit eius gubernationi, atque adeò nihil est quod rectum in finem non ordinet, nullum medium quod non decernat, aut permittat. Negarunt curam hanc Deo rerum minimarum Plato, & Aristoteles, sed probari naturali etiam ratione potest ex infinitate scientiæ, bonitatis, & potentiae. Deinde quia rerum etiam minimarum & dominus & creator est. Attingit ergo à fine vsque ad finem vniuersalissima hæc omnium dominatrix prouidentia.

Secunda proprietas est, quod sit æterna, nihil enim omnino est quod ab æterno præsens illi non fuerit, quod non viderit, disposuerit, digesserit, vnde nihil illi nouum accidit, nihil improuisum euenit. Sed totum ordinem personarum, euentuum, infortuniorum, bellorum, regnorum, naufragiorum, minutim & sigillatim digestum, & statutum habet.

Æternitas.

Tertia proprietas, quod sit sapientissima, atque adeò secretissima; per vias enim occultissimas, & sæpè contrarias assequitur tamen semper quod vult, & intendit, ut obseruabam supra ex varijs patribus, deinde media eligit omnium maximè idonea, & optima, quibus sine dubio assequatur optimo modo fines conuenientissimos, quia scilicet prouidentia est ipsa ut dixi sapientia infinita, quæ ordinat media, & fines præscribit.

Sapientia.

Quarta proprietas, quod sit sanctissima; nullum enim finem præscribit, nullum medium eligit, quod non sit honestissimum, & conforme rationi æternæ quia omnia decreta prouidentiæ sunt actus voluntatis infinite sanctæ, atque adeò cum infinite sanctitatem suam amet, & creatam etiam procuret, tota ordinatur ad sanctificationem creaturæ rationalis, quam eo modo ad se rapit, & sibi vnit per gratiam & gloriam.

Sanctitas.

Quinta proprietas, quod sit suauissima & amantissima; rerum enim naturis semper se accommodat, res liberas libere gubernans, solaque suauitate illas ad se trahit, monendo, docendo, delectando, sed semper infinite amando.

Suauitas.

Sexta proprietas, quod sit tranquillissima; nec enim in tanta rerum mole vllā vnquam perturbatione tangitur, sed sic omnibus prouidet quasi singulis, id est tanquam vnius tantum mulsæ curam gereret, & sic curat singula tanquam omnia.

Tranquillitas.

Septima proprietas, quod sit infallibilis; semper enim finem suum assequitur adæquatè sumpta. *Omne consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Quis enim vincat Dei aut sapientiam, aut potentiam, & ratio huius certitudinis est, quia per scientiam conditionatam videt media omnia quæ habitura sunt effectum, & illa tribuit, vnde semper infallibiliter assequitur, quod intendit.

Infallibilitas.

Certum est secundò, varias omnino esse operationes prouidentiæ gubernantis omnia: præcipuæ verò sunt productio quotidiana, innumerorum indiuiduorum in qualibet specie: conseruatio vniuersi & singulorum indiuiduorum ac specierum: cooperatio & concursus ad omnes omnium rerum operationes, internas & externas: prædefinitio bonorum omnium, tum naturalium, tum moralium: permissio & impedio multorum malorum: illuminatio creaturæ rationalis siue per interna gratiæ auxilia, & vocationes siue per externam legem, doctrinam, exempla; deinde hominum redemptio, vocatio, iustificatio, & instrumenta quibus eam adipiscimur, remuneratio & punitio. Quæ omnia partim ad philosophicam pertinent considerationem, partim in sequentibus exponuntur.

Operationes prouidentiæ.

QVÆSTIO II.

De supernaturali Dei prouidentia circa electos, quæ appellatur Prædestinatio.

Quæst. 23.

Ingredivimur magnum iudicium diuinorum profundum, ut loquitur August, epist. 105. quod scrutetur qui potest veruntamen caueat præcipitium; neque enim ista sunt iniusta quia occulta. Hæc videlicet est prouidentiæ diuinæ pars præcipua quæ per media infalli-